

1821

C A S U I S T I C I.

1822

*delis deuocionis obsequium. Quantum luna ceteris stellis est lucidior &c. Ita praefatur Philippus hic ad latinam ex Arabico versionem Pseudaristotelis ad Alexandrum M. de Secretis Secretorum, cujus Exemplum retuli Vol. I. P. 2. col. 2099. ista tamen Praefatione carens. Ait in hac: Cum apud antiochiam vobiscum essem repertam hanc preciosissimam philosophiae margaritam placuit vestre dominacioni ut transferrem de lingua arabica in latinam. Verterat porro e graeca in chaldaicam, indeque in arabicam, Johannes quidam Patritii filius, ut praefertur; ego vero Arabis cujusdam foetum puto. Quae insunt, edisseruit Mich. Neander in Erotemat. Ling. Hebr. p. 558. quae legi etiam possunt in Fabricii Bibl. gr. L. III. c. 6. p. 168. Impressum extare Opusculum, jam dixi l. supracit. Quid monstro vocis Bindoiacone faciam, nescio; reperio tamen Episcopum Tripoleos Syriae nomen suum a B. ordientem, ad quem in Cruciatarum negotio literas dedit Nicolaus IV. a. 1289. Clausula Codicis est: Completus est tractatus de signis naturalibus hominum ad regem magnificum alexandrum qui dominatus fuit toti orbi dictus monarcha in septemtrione.*

DCCLVIII.

R. 2225 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. 8. nitide exaratus, literis quibusdam initiorum picturatis, quarum prima Autorem

habitu Ordinis sui exhibet scribentem, et olim Bibliothecae Episcopat. Neostadiensis praemissis quibusdam de Examine Confitentium instituendo alia manu adscriptis hunc Titulum praefert: *Incipit summa fratris borcardi de ordine fratrum predicatorum*, et ad calcem habet: *Explicit summa de penitentia fratris brucardi theotonici. de ordine fratrum predicatorum*. Vides Autoris nomen ne apud eundem quidem Librarium constare, quid mirum, si apud diversos Burchardum, Boucardum, Brocardum, Buchardum legas. Cum Teuto fuerit, et Argentinas, ut in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 466.* dicitur, Burchardo adhaerendum videtur. Summa ejus constat Libris IV. divisis in Capitula, quorum Elenchus ad extremum adjunctus est. I. incipit de Simonia ita: *Simonia dicitur heresis non quod ipse actus sit hereticus &c. II. initium est de Homicidio. III. de Bigamis. IV. de Sponsalibus.* Opus copiosum, utut succinctum, quod miror prelum evasisse. Exemplum V. mss. excitat *Quetifus cit.* His sextum nostrum accedat.

DCCLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 52 XV. Folior. 242. 4. bene perscriptus, et rubricis enotatus hanc in ora inferiore p. 1. Notam offert: *Iste liber qui dicitur antonina est monachorum congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Sossii*

C 3